



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Syntaxis Historiæ Evangelicæ

Cope, Alan

Lovanii, M.D.LXXII.

163. Christus se ostendit duobus Discipulis euntibus in vicum qui dicebatur Emaus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47925](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47925)

CAP. 163. Christus se ostendit duobus Discipulis euntibus in vicum qui dicebatur Emaus. Mar. 16. \* 161. Luc. 24. \* 161.

S. MATTHEUS S. MARCUS.

S. LUCAS.

S. IOHANNES

**P**OST hæc autē duo-  
 bus ex his ambulanti-  
 bus osten-  
 sus est in-  
 alia effigie  
 eūtib; in  
 villam. &  
 illi euntes  
 nuntiaue-  
 runt cæ-  
 teris: nec  
 illis credi-  
 derunt.  
 \* 164.

**E**T ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalē, nomine Emmaus. & ipsi loquebātur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum est: dum fabularentur & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis. oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent. Et ait ad illos, Qui sunt hi sermone quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes? Et respondens vnus cui nomen Cleophas, dixit ei, Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illa, his diebus? Quibus ille dixit, Quæ? Et dixerunt de Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere & sermone coram Deo & omni populo. Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israël: & nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quod hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris, terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt, dicentes se etiā visionem angelorum vidisse, qui

S. Matthæus S. Marcus,

S. Lucas,

S. Iohannes

qui dicunt eū viuere. Et abierunt quidā ex nostris ad monumentum: & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum verò non inuenerunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti, & tardi ad credendum in omnibus quæ loquuti sunt Prophete, Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suā? Et incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. Et appropinquare runt castello quò ibant: & ipse se finxit longiùs ire. Et coëgerunt illum, dicentes, mane nobiscum, quoniam ad uesperas cit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipse euauit ex oculis eorum. Et dixerunt ad inuicem, Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem: & inuenerunt congregatos undecim, & eos qui cum illis erant, dicentes, Quòd surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ getta erant in via: & quomodo cognouerunt eum in fractione panis. \* 164.

Cap.